Anna Aloysia

Jesu Gratiae parentales parenti optimae ac fundatrici suae beneficentissimae

GRATIÆ PARENTALES,

PARENTI OPTIMÆ,

AC

FVNDATRICI SVÆ

BENEFICENTISSIMÆ,

ANNÆ ALOYSIÆ,

DVCISSÆ IN OSTROG

CHODKIEVICIÆ,

PALATINÆ VILNENSI,

Inter lugubres Exequiarum Cærimonias

PERSOLVTÆ

A DOLENTE GRATAQVE SOCIETATE IESV.

Anno, semel mortalis DEI, M. DC. LIV. xiij. Kalend. Nouemb.

CRACOVIÆ,

In Officina Viduæ & Hæredum Francisci Cæsarij, S. R. M. Typog.

Anno Domini, 1654.

Nunquam Magnis Mentibus cara in corpore mora est. Eripit se aufertque ex oculis perfecta virtus.

Seneca ad Martiam.

Nihil laudabilius Fæminis, quàm si Verum Honorem, non in splendore Titulorum, sed in iudicijs Hominum reponant.

Plin. Traiani Paneg.

ÆTernos quisquis Titulos & grandia, veræ
Nomina laudis amas, illibatosq; supremis
Funeribus proferre dies, post fata rogosq;
Viuere, nec seræ tandem succumbere morti;
Huc ades, & pulchro spirantia pectora voto,
Non super ætherei casurâ mole Colossi
Nixa tene, veterisq; super miracula Memphis;
Perge sed intrepidus: quò letho imperuia Virtus
Nobile monstrat iter; per quæ vestigia ducit

Jmmortalis Honos,

ET

POSTHVMA GLORIA

ANNÆ ALOYSIÆ

CHODKIEVICIÆ,

PALATINÆ VILNENSIS,

Ducissæ in Ostrog.

Fundatricis Collegii Ostrogiensis
Societatis IESV.

ERgò vel hodiernam demum ſuſtine laudationem, ingentes olim merita, nullas audire paſſa Panegyres, Heroinarum Maxima ANNA ALOYSIA: hodie tandem illa mortuam Te aſſequatur Gloria; quam, cùm nihil non glorioſum faceres, vnam in vita fugiebas. diſcat ex Te Orbis veræ laudis tramitem, quæ rectiſſimis ſemper itineribus ad immortalitatem contendiſti. Pallet quidem nunc etiam, credo, ad ipſum Gloriæ nomen, rubere olim aſſueta Modeſtia Tua; ſed hîc deniq; ſumma mereris Elogia, vbi pro vniuerſis Tuis meritis, vnicum poſcis ſilentium. Eorũ duntaxat funeribus tacendi relinque inferias: quibus, ad dicendi materiam, ſatis eſt vix nomina reliquiſſe; neſciunt miſeri, ita demum ſe inglorios apparere, ſi hoc vno laudari ſtylo debeant, quo cuncti poſſunt. At verò in deuota Tibi pagina, Tuo ſub titulo, nemo ſuas virtutes exſpectauerit, Princeps inclyta; nam à ſolitis cæterorum præconijs, ipſa Te glorioſè factorum longè diſcreuit inſolentia. Vnde verò dignius laudes iſtas ordiar, quàm vbi Tu illis digniſsima eſſe incepiſti? Primam ſibi meritò poſcit memoriam tempus illud; quando, affectu in ſuperos, quàm recentibus tunc annis tenerior, æternæ Te primùm conſecraueras recordationi. E[illegible]nt, vt libet, alij, plurima politioris doctrinæ volumina; hoc vno diuturnæ indagationis pretio, ſi, quà ſuum morti nomen eximant, inuenire poſſint rationem. Tibi, Principum ſolertiſſima, ſatis ad hoc fuerat, in depicta diuiniſsimi Herois IGNATII manu, Sacrum ſemel codicem aſpexiſſe. vbi, dum publicam Societatis IESV legis teſſeram: momento propè didiciſti: Magnos etiam Duces tunc demum maxima merituros nomina, ſi AD MA-

IOREM

IOREM DEI GLORIAM militauerint. Hic ille vocalior Tacito liber, generoso te isto animauit spiritu, quo secuturæ semper victura es posteritati. hæc illa dextera, infinitis Tuis virtutibus, primum dedit initium. hic deniq; fortunatus ignis, eam heroicæ Tuæ indolis mentem accenderat: quâ solam hanc immortalis Gloriæ viam elegisti: vt Maximum illud Optimumq; Numen, quam maximè redderes gloriosum. O diem illum verè beatum! diem longè serenissimum! qui tam diuino Tibi illuxit lumine, vt inter tot Illustrissimos Orbis splendores, quæ tandem vera esset Gloria, ex vero cognosceres. Legitis hæc, non occasuris intenta sæculis, terræ lumina? heu, quantùm inanes cæco passu captatis vmbras, si alius vos, ad optatam non morituri nominis famam, trames ducit! Et erecta posterorum admirationi proxima cælo fastigia, in ferale punctum desinunt; & inscripta sepulchrali saxo nomina, ipsis calcantium pedibus exteruntur; & duraturis, scilicet, voluminibus impressi honores, leuissimis erasi erosiq; tineis, euanescunt! vnus ille, à perenni situ & obliuione, veram vindicabit Gloriam, qui Diuinam. Hoc nouerat, hoc secuta est, vniuersi orbis notitiam ac imitationem merita ALOYSIA, ad hanc, dies noctesq;, descendit cogitationem, quâ conceptum Diuini Honoris studium, in sublimiora semper ascenderet incrementa. Et sanè, illa nunc sanctissimæ deliberationi occurrit conclusio: vt orbe procul hominumq; oculis remota, Illustrissimos natales, inclytæ Matris desideria, spes & vota vniuersorum, religioso conderet in secreto. sed ampliori Te serua theatro, ingentis Gloriæ scenam actura Princeps, gratissimum astris odorem spiraturæ Flos, pro vnius sacratioris septi angustijs, totius Poloniæ campum exspecta, tenuiū ea siderum est necessitas,

ſitas, tenebrarum vti præſidio ne pereant; Illuſtriſſimæ Lunæ Tuæ ſplendor, luculentiùs in ſole publico eluceſcet: imò, quidquid orbe minus eſt, virtutis Tuæ magnitudini paruum erit. Continuat tamen propoſiti ſanctioris conſtantiam ALOYSIA, & repugnanti parentis imperio, machinas admouet lacrymarum, expugnatura vtiq; niſi, pijſſimæ quondam Virginis Barbaræ Langiæ maior humano ſpiritus, ad ferendum Matris arbitrium, filiam coegiſſet. hoc inſuper cælis iubentibus addito omine, vt à nutu materno glorioſiſſimi deſiderij metam exſpectaret. Nimirùm, illi Te iam loco deſtinabant ſuperi, Illuſtriſſima Fæminarum: vbi miſerorum æſtibus, vmbram; lugentium nubibus, ſerenum; vniuerſorum oculis, probatiſſimum exhiberes exemplar. ita demùm ſuperis auctura Gloriam, ſi calamitoſis incommoda, ignorantibus tenebras minuiſſes. Ceſſiſti igitur Princeps Illuſtriſſima, & vatis Tuæ oraculo, & Matris voto, grande vtiq; pietatis ac obſequij experta præmium; cùm breui poſt, ab chariſſima Parentis manu, ad connubialis vitæ fœdera, nonniſi Heroum glorioſiſſimo conceſsiſti. CAROLVM loquor CHODKIEVICIVM, Magnum illud Polonæ Gloriæ incrementum, & Turcicis Sueticisq; auribus formidandum Nomen.

Sarbieu. Epig. 79.

Qui Aſiæ populos, & flaua Propontidos arma
Strauit. --

Cuius immortalia in Patriam merita non domeſticæ ſolùm laureæ, ſed peregrina etiam perorant monumenta. Ita enim procul Imperatoria ſua virtus porrecta eſt: Vt in florentiſſimis Italiæ Mediceorum hortis, etiam

- modò, Threycij, pulchrâ ſub fronde, triumphi
Marmoreâ pergat *ponere bella manu.*

Ibi, inter ſecularia bellicæ fortitudinis miracula

Ac,

Fortis adhuc meminit bellacis dextera ferri.
A c, *nisi captiuas vincirent marmora plantas,*
Iret in hostiles libera dextra globos.

Et sanè, supremus iam iste felicitatis Tuæ gradus credi poterat: in quo, & deriuatâ à summi Viri Titulis celsitudine: & Tuarummet laudum excellentiâ, sublimior omnibus appareres, nisi, augustum hoc iter fuisset potiùs, ad amplissimum liberrimæ virtutis campum; vbi, post mariti simul, simul Matris soluta imperia, hoc demum Tibi liceret, quidquid superis libuisset. Breuissimi temporis coniunx, amisisti virum potiùs quàm habuisti, qui, postquam Patriæ, pro præliorum numero, victorias peperisset; dum Chocimensis belli initio, ampliorem orditur immortalitatem: Matrem Te fecit lacrymarum. O quantas, amicissimo huic funeri, doloris dedisti inferias! quibus Illustrissimi sponsi occasum prosecuta es tenebris! testor perennem anni totius vmbram; in qua, admirandâ solitudine ac luctu Manibus desideratissimis parentasti: vel ideo æternos promerita soles, quòd tunc mæreres in tenebris, quando plerumq; lacrymæ diem quærunt. Neq; aliud mihi egisse tunc videntur Cælites, quàm vt, breui hoc aliquot mensiū connubio, æternus illis rubor nasceretur: quæ, solâ primi amoris obliuione, viduas se meminerunt: scilicet, non tam sollicitæ quid amiserint; quàm quid inuenire possint. Castigauit earum leuitatem Tua constantia, Princeps inclyta; cùm, Illustrissimum coniugem Tuum, adeò & viuum tenerè, & defunctum fortiter coluisti: vt dubium feceris, viuerené ille ad hunc amorem, an mori ad hanc memoriam elegisset. Sarmaticam Te dicerem Arthemisiam ô Princeps; nisi, quòd hæc, epotis mariti cineribus, illud etiam extinxit quod rogus reliquerat:

Tuus verò magis amor induſtrius, ad hoc pia Caroli ſeruabat oſſa: nè ſaltem hâc ſui parte ſponſus deeſſet oculis, quem totum animo circumferres. Atq; hîc ſe iam auguſtus ille veræ Gloriæ Campus explicuit, quem tibi olim feliciſſimè decurrendum, cæli in Te liberalitas deſtinabat, à dolendo coniugis obitu, virtutum Tuarum immenſitas, velut ruptis aggeribus, latè adeò exundauit, vt ad omne ſuperum hominumque genus, heroicâ ſe ſe profuſione porrexerit. Horrebat Schiſmatis inculti barbarie, vniuerſa propè Volhinia; Tu Oſtrogienſis Collegij opportuniſſimo beneficio, & mores ad vrbanitatem, & ingenia ad ſapientiam, & tenaces Patrij erroris animos, ad Romanæ veritatis lucem produxiſti: egregio ſanè glorioſi Tui nominis incremento. cui, ipſo diſcendi ſcribendiq; vſu, innumeri ſudabunt calami; ipſis diſceptandi exercitationibus, infinitæ laborabunt voces; ipsâ legendi aſſiduitate, omnia illius Gymnaſij perennabunt volumina. Squalebant tot oppida pagiq; ſine tēplis, templa ſine aris, aræ ſine Sacerdotibus; Tu ſingulari pietatis artificio, hîc nouas ſuperis ædes excitari; ibi collapſas erigi; alibi iam erectas, frequentiori cultu cælitum, pretioſa ſupellectili, duraturiſq; ſemper reditibus, conſecrari, inſtrui, diteſcere feciſti, eò digniorem cæteris habitura memoriam, quò ſanctiorem: tot enim Tibi duraturæ ſunt pyramides, quot altaria; quot diuorum ædes, tot Mauſolæa. Abundabat deniq; indigentium fecunda ſemper calamitas, Tu eorum lacrymas ſolatio, inopiam ope, mala demum omnia, omni beneficentia exhauſiſti. quid enim nuptiales nobilium puellarum ſumptus, honeſta Neophytorum ſtipendia, continuas alumnorum educationes commemorem? attingi hæc omnia

mnia

mnia possunt, non numerari. Verè Asylum necessitatis alienæ fueras: nisi maximum ad Te aditum, optimus quisq; inuenisset. Hinc illa domûs Illustrissimæ, ex moribus Dominæ, id est ex virtutis lege, composita maiestas: hinc, inter ingentia pupillorum agmina, inter magnificos Ducalis famulitij ordines, sanctiori bonorum Collegio, quàm Aulæ forma similior, ipsa diuitis mensæ opulentià, ex pauperum conuictu; quotidiani vsq; sermonis, ex verborum sanctimonia; tota familiaris vitæ consuetudo, rarissima morum constiterat integritate. Ita porro, recentissimæ ætati nostræ Paulas veteres, cæteraq; illa in eodem sexu, Romani nominis, sanctiora prodigia reddidisti. Cuius verò auribus facile persuadebo, in tanta illa honorum excellentia; vix præsentium oculis creditam modestiæ submissionem? vilissimorum vulgi capitum frequens & suaue alloquium? prandentium mendicorum cænis, exhibita persæpe ministeria? adeòq; in maxima fortuna, nullum supercilium. Quis satis æstimabit, illius clementiæ miraculum dicam an exemplum? cum seruilis olim subditorum audacia, die medio, itinere publico, domi propè Tuæ, progredientem Te Dominam aggressa, hoc vnum in Te sceleratissimo parricidio vindicare voluit, quod in Patrem pia fueris. Et finiuissent omnino cæptam immanitatem lugendâ catastrophe Schismaticæ belluæ; si non, intenti ad innocentiæ defensionem Superi, & plurimorum fortunam, in Tui vnius capite, à supremo infortunio: & vindicanti se se heroum potentiæ, in Tua clementia, exemplar, seruare statuissent. Caruit successu, in ipsis capitibus præcisum scelus. ita tamen ad paucos, & parricidij pœnam, & pœnæ leuitatem extendisti: vt ipsa nefari-

orum

orum conſcientia admirata ſit : adeò Te vitâ dignâ fuiſſe, vt etiam indigniſſimorum viliſſimo cruori peperceris. Iam illum in vniuerſam Rempub: amorem Tuum, quæ pro merito extollet Gloria, Princeps glorioſiſſima? Vindicatam ab inertibus ſchiſmaticorum quiſquilijs, Suraſij poſſeſſionē, ita nobiliſſimæ iuuentutis vſibus adſcripſiſti: vt omnis inde Patria fructum ſit perceptura immortalem. iam inde ab infantia, creſcent ſumptibus Tuis, ad ſpem Poloni nominis nati animi; viuent alimentis Tuis, vitam olim regni propugnatura pectora; nutrienturq; Tuo pane ſuſtentura olim Reipublicæ molem columina. effeciſti profectò, vt Mater Patriæ æternùm audias; cum tot nobilium filijs ea feciſti, quæ omnes à parentibus, multi fruſtra, exſpectabant. quaſi omninò Tibi curæ fuerit, veriùs quàm neſcio cui Principum, ne quis expers beneficentiæ Tuæ fieret. maxima tantæ in Patriam liberalitatis commendatione, quòd illis hæc contuleris, pro quibus maximè neceſſitas perorabat. Placet hîc addere heroicam mentem Tuam, ac, in viris etiam raró ſpectandam, animi fortitudinem. Inuoluerat & Te ruſticus turbo ille, cùm toti Poloniæ formidabilis, tum in primis ipſi Ruſſiæ perniciosus. ceſſiſti acerbæ neceſſitati; non vt Tibi diutius viueres: ſed, nè Tuo beneficio viuentibus, tàm citò morereris. Valedixiſti amicis Penatibus, non eos ampliùs ſalutatura; egreſſa es, Auis atauiſq; habitatâ domo, non iterum reditura; atque illa nuper tot Dominorum Princeps, nunc exul, nunc alieni tecti egens, patriam, lares, omnia deniq; Tua, præter ſui ſimilem animum, reliquiſti. Aſſueta olim, miſerorum anguſtias, non manu duntaxat proſequi, ſed & lacrymis; cùm ſolùm propè iam hoc alterum

potui-

potuisti; non tamen id questa es, quòd Tibi multa habere: sed quòd afflictis, à Te accipere plurima, non liceret. Pergerem recensendo cætera, vel obscuro nomini ad splendorem posthumum suffectura; accenderem omnium oculis, inauditum in tam Illustri lumine zeli ardorem; dicerem, quòd rebellia Vaticano Capiti pectora, quà oris obsequio, quà manûs liberalitate, promptissimè restitueris; quot Diuino fonti admouendarum mentium ruditatem, solitâ rudimentorum enodatione expolíueris; quot deniq;, saluberrimo consilio, ægrotis latenti crimine animis, expiandi remedia persuaseris; producerem inquam ad solem omnia Illustrissimæ vitæ decora, si hæc, à te gesta, eloqui possem facilius, quam à nobis amissa deflere. Dabo tamen tot virtutum Myriades Orbi in compendium, & verbo dicam: Ita Te, Heroinarum Illustrissima, ita Tua omnia veræ Gloriæ impendisti, vt virtutum Tuarum multitudini imputare debeas, si veritatis huius magnitudo maiorem sit admirationem habitura quàm fidem. Non crediderit tamen, vt libet, cui sua imbecillitas alienæ mensura est fortitudinis; mihi iterum certum est, securo fidentiq; calamo profiteri, quod Orbis legat vniuersus: Quæ Tu, Princeps Optima, pro immortali, id est, Diuina Gloria perfecisti; leguntur hæc forsitan in plurimis singula; vtinã vel in vno vniuersa. Et fecisses adhuc vixissesq; diutius, neq; oculis nostris hodiernus hic cinis esses & lacrymæ: si multorum vota potius, quàm Tui vnius merita, Cælestes animæ approbassent. Porrigebat semper cælo supplices pro Te manus, quisquis tunc primum inter miseros numerari cæpit, cum Tu inter homines desijsti. Orabant in Tuis annis suæ orbitati inducias, integri pupillo-

rum greges; &, à Matris obitu vitam flendo acturi, vt vel nunquam, vel serò tandem occumberes, cum lacrymis precabantur. Vniuersa demum Sarmatia, tam procul Te ab hodierni funeris luctu abesse cupiebat, quàm ab immensis Tuæ Gloriæ titulis, cætera Heroinarum nomina abfuêre. Sed, heu vana semper hominum desideria, si quid sibi potiùs cæli poscunt! ita omninò Princeps Illustrissima virtutum numero vota omnium superaueras: vt, certantibus de Te, hinc Poloniâ, inde polis: contra Tuorum preces, pro ingentibus Tuis meritis, decretum sit. Transcriptus igitur Astris magnus ille spiritus, & par tantæ felicitati mens, gratulantibus sibi cælis illata est. Nobis verò orbitate nostra attonitis, heu tristes tantùm habitatoris olim animi exuuias: ossa inquam, morte pallentia, & ex tam ingenti nomine, tam paruos cineres! doloris hæc dicam nostri solatia, an irritamenta lacrymarum boni superi reliquistis? heu! terrarum nomina, quàm humiles fauillas pulueremq; exspectatis! hoc maximè admiranda titulo, quòd, cum ad vltimam rerum lineam ventum est, punctum vobis esse propè sufficit, imò nihil! Atq; vtinam verò, vel ipsa hæc quantulacunque magnæ Heroinæ pignora ita spectaremus: vt non illa etiam luctuosus hic dies ex oculis manibusque nostris eriperet! vtinam venerandi cineres præsentem nobis semper ANNÆ ALOYSIÆ memoriam seruaretis! sed, en istud quoq; tam breue mortis spolium terra poscit! hiant ora potentis tumuli pretiosos clausura Manes; nec quidquam aliud, post insignem adeò iacturam præter longos gemitus, præter spiraturum semper desiderium, orbi Polono relictura. Heu lachrymæ! heu verba liquescentia in singultus! Ergoné huius fossæ angustijs,

augu-

auguſtus ille tot ſeculorum ſanguis, capietur? ergò ſub his tenebris, vniuerſus Oſtrogiani Sideris deliteſcet ſplendor! & ſub tantillo terræ cumulo, tanta illa tot olim Illuſtriſsimorum Ducum obruta iacebit maieſtas! Ita ſanè, Magni quondam in Oſtrog Principes, magni Duces, huc vsq; glorioſi nominis veſtri deducta eſt immenſitas! Luxit orbi vniuerſo, per longa ætatum confinia Luna veſtra; ſed, proh dolor! en iam hodiè, in luctuoſa ANNÆ ALOYSIÆ eclipſi, lucendi finem fecit. Cucurrit Auguſto tramite per Regios etiam tractus Equitis veſtri generoſitas; ſed ecce, in præſenti ſepulchro, æternos iam attigit limites, perpetuam inuenit metam! Adſumus vniuerſi ſupremæ neceſsitatis obſequium, & ſupremum hunc theſaurum veſtrum permiſtâ luctu arenâ tumulamus. Noſtris illam ſepulchro damus manibus, quam non moriturâ æternùm recordatione geremus in animis. O ſi omnis illa manus, quæ à Tua olim dextera beneficium accepit, vnum ſaltem terræ pupillum Tuo redderet monumento, ANNA ALOYSIA! quàm ingens hîc creſceret Tumulus! quam admiranda poſterorum ſeculis ſtaret moles! Non iam in rudi ſaxo aut leui pagina, Illuſtriſſimum nomen Tuum obſcurus quiſpiam ſtylus exprimeret; ſed inter ſuprema ſidera poſthumorum oculis legereris. Quanquam hic etiam lapis, non ita Te Orbi ſubtrahet ſecuturo, vt non etiam à longiſsimis, ſpectari cognoſciq; poſsis. Quàm latè, aut quàm diu, orientis occidentisq; ſolis limites, noſtra complexa fuerit Societas: Tuum Nomen, Tua in nos Beneficia, Tuam deniq; mirabũtur Poſteri GLORIAM IMMORTALEM.

Coronate, quod vnum superest, Cælestes Animæ, Optimè de Vobis meritos, ingentis Heroinæ Manes; quando illos Mitra Ducalis iamnon ambit. Communi mortalitatis exilio fessum caput, tandem Æternæ (quæ Vestra est) debebatur Quieti. Nequaquam excludetis Heredem cælo patrio: quò iam olim è Maternæ Lineæ Maioribus Diuos præmisit Consanguineos. HYACINTHVM & STANISLAVM, par Nobile Beatorum: Illum ODROVAZIA, hunc è stirpe KOSTKANA, vtrumq; suis moribus ac virtute subnixum. Perge igitur Magnis itineribus, non vno nomine cælis promissa & reddita ALOYSIA. quanquam quid te hoc in curriculo hortemur? quæ iam ad metas præoptatæ Æternitatis (vt meritò creditur) constitisti. Illa ipsa Tibi, celeritatem Calcaria persuaserunt, quæ Tuæ teneritudinis oblita, Tuis persæpè artubus admouisti. Tuo Tuiq; Cognominis ALOYSII probatura exemplo: *Calcaria, etiam Currentibus adhibenda esse in via, quæ tam grandis restaret omnibus.* Quo autem Tuo aut nostro potiùs euenire fato dicam, vt ne supremas quidem à deuinctissima Tibi Societate IESV Gratias, subitarias pœnèq; extemporales reddi liceat. Opportunum id videlicet tuo accidit genio, Heroinarum modestissima, ne aut anxiè, aut diu, quæsitis præconijs Posthumos tibi Honores quæreremus. Tanta hodieque tibi in admittendis officijs parcitas, vt ea etiam, redhiberi tibi ægrè admodum patiaris, quæ à nobis citra ingratæ mentis piaculum dissimulari aut omitti haud possunt. Hinc meritò subueniendum Tuis Vatibus, ne ea quoque parum æquis accipias auribus, quæ ad busta indulgentissimæ Mæcenatis suæ, incompto vt par est Dolore, lamentatur.

O D E I.

Dvcalis Civitas Ostrogivm, Deplangit Illustrisimæ Hæredis suæ, immaturum è rebus Humanis excessum.

Non semper acri bruma rigens gelu
Stringit tenaci, flumina compede,
Maiumuè, formososq; Floræ
Excidio populatur agros;
Nec cæca semper fulmineos tenent
Duella ventos; Aeoliam neq;
Semper, procellosis tremiscit
Dissidijs agitata Thetys:
Transmissa brumæ regna, tepentibus
Aprica reddunt iura Fauonijs,
Et incubans nido, furentes
Alcyone moderatur Euros:
Me dura belli perpetuis premit
Fortuna telis. Huc Niobes dolor,
Et triste marmor, huc perennes
Heliadum properate luctus.
Adhuc rebelli continuat dolor
Hiulca ferro vulnera; decolor
Adhuc peremptorum cruore,
Barbaricæ, queror ausa dextræ.
Sed heu! doloris maius in intimis
Vulnus medullis figitur. Occidis
O lumen! ô Propago Regum!
Perpetuis memoranda Princeps
Fastis & annis. Gemma Wolhyniæ,
OSTROGIANI *gloria Sanguinis,*
Virtute prætergressa sexum,
Rossiacæ Pharos vna terræ.
Eheu quot vno marmore contegis

Ceras Auorum! Gentis origines,
Tantilla, tot concludit vrna!
Quot Tituli memoresq́; TECVM
Fasces recumbunt! quot nitidæ iacent
Ducum Tiaræ! & Cæsarei decus
Insigne splendoris, Coronæ
Funereis tumulantur vmbris!
Hæres Auiti CYNTHIA Stemmatis,
Semper Polono SIDVS amabile,
Fauensq́; Cælo, decolorem
In tenebras age verte frontem.
Non mutuati prodiga Luminis
Mutare lucem, discite CORNVA,
Nec Stella natiuum corusci
Verticis eiaculetur aurum.
Sed quid querelis & gemitu lyræ
Atrata Nostri nubila sideris
Flemus? parentalesq́; magnæ
Soluimus inferias Parenti?
Quippe insolenti quæ pede succutit
Cræsi columnas, & Procerum domos;
Nec non Tyrannorum superbit
E spolijs, Libitina victrix;
Pugnacis iræ parcior, ardua
Heroïcarum pectora mentium
Impunè pertransit, nec vllum, è
Magnanimis statuit trophæum:

ODE II.

Religio Pietasq́; in DEVM, *ac Cælites* ILLVSTRISSIMÆ *PRINCIPIS.*

VNde repercusso regemunt delubra dolore?
Aut vnde mœstis templa squalent nubibus?
Vrna quidem vna jacet, sed tot morientia secum
Captiua ducit in sepulchrum pectora!

Fatorum

Fatorum lex vna patet. Stat terminus vnus
Omnibus, & omnes vnus expectat dies.
Occidis exortum GENVS ALTO à sanguine Diuûm,
Ostrogianæ lumen augustum MITRÆ!
Communi raperis letho: dignissima nunquam
Subire nostræ debitas sorti vices,
Nec TVA TE Pietas, nec egeno æraria CHRISTO
Patula; aut Olympo clausa nunquam dextera,
Nec fidei sincerus Amor, nec Conscia castæ
Religio menti, Mortis exemit manu.
Occumbis Latiæ vulnus miserabile MATRI,
Ruina nullis flenda dignè lacrymis.
O benè quòd tetrico Diuûm penetralia vultu
Mærent, & aras triste syrma circumit;
Norunt munificæ pia vectigalia dextræ,
Et erogatos indigo census DEO;
Norunt, quot steterint magno Delubra paratu,
Nec pænitendo censuum dispendio.
Hæ sunt Pyramides, hæ nostræ PRINCIPIS Alpes,
Et hi Colossi celsiores Alpibus:
His illa errantes Lunæ transgressa labores
Patriamq; solis, & Planetarum vagas
Præteruecta domos, æterno viuit in æuo
Cæli voluptas, flebilis terræ dolor.

ODE III.

Munificentia ILLVSTRISSIMÆ Mæcenatis in literas earumq; cultores.

NOn sic rebellans clausit Apollinis
Muto Gradiuus labra silentio,
Nec dira, sic OSTROGIANAS
Bella minis pepulêre Musas,
Vt semiuiuâ non valeant suæ
Vale supremum dicere barbito,
Et voce MATRI. *Semiustum*
Rossiacæ pia turba Diuæ

Proferte plectrum: cingite flebili
Frontem cupresso; rumpite tristibus
Pectus querelis, & Parenti
Funereos geminate lessos;
Quam, dum paternis exul ab vrbibus,
Belli procellas vitat, & impios
Martis furores, lachrymosi
Vis rapuit violenta fati.
At non auaris sola sororibus,
Occumbis alto non sine vulnere,
Sublimis Heroïna! Tecum
Intereunt Tua cura, tristes
Phœbi Camœnæ. Proh! inamabilis
Mors, literatæ quot lucra Palladis
Extinguis! & quantos recondis
Principe cum moriente census!
Hac illa muto sub tumuli riget,
(Vigoris expers) dextera marmore;
Cuius palatino fauoris
Munere, promicuêre lætas
Musæ per vrbes: Vnde sibi nouos
Creuisse gaudet Lechia Tullios;
Auresque captiuas trahentem
Nestoris emicuisse palmam.
Exinde natos tot sibi computat
Maro nepotes: inde tuo pares
Annæe miraris cothurnos,
Et similes, Venusine, doctis,
Lepos, lepores combibis auribus;
Papinianis vnde tot æmula
Plectris refloruêre plectra,
Et Lechicis sonuêre terris.
Vnde & iocosis Bilbilici sales
Rident cachinnis, & dociles probat
Jam castiore Naso vultu
Carminis ingenijquè vires.
At nunc cruenti vulnere prælij,
Prostrata merces Palladis inclytæ

Occumbis!

Occumbis! hêu Vestris Heriles
Funeribus præÿstis artes
Funus Patronæ. Commoreris Tuæ
Stagira MATRI, *Cecropio potens*
Stagira Circo; docta rerum
Ambiguas reserare causas,
Mitiq; Falsum pellere prælio,
Amore VERI. *Vos quoq; Romulæ*
(Post fata Patronæ) refusum
Noctibus occuluistis amnem,
Suadæ lepores; occuluit suas
Parnassus umbras, Tota Ducalibus
Phœbiq; Musarumq; pridem,
Agmina conticuêre tectis.
Silete castæ germina Palladis
Silente vestrâ Præside, tetricæ
In noctis vrnâ, sola mæstùm
Plectra, Lyræ, citharæq; plorent.

ODE IV.

POESIS OSTROGIANA, ILLVSTRISSIMÆ

Fundatrici Supremum Lyræ tributum persoluit.

SIc Te potentûm Gloria Principum,
Regumq; sanguis, sidera jam TVÆ
Cognata suscepêre Lunæ,
Iam superæ TVVS inquilinam
Te fecit aulæ Pegasus. Obuio
Repensa largæ munere dexteræ,
Heram salutauêre plausu
Atria, stelligeræq; sedes:
Quò post laborum tædia, nobile
Heróas æuum suscipit. hàc vbi
Æterna spectandas per astra,
KOSTKA Cruces SOLEASq; fixit.
Illic perennes inter Etesias
Interque mirantum agmina Cælitum,

Insignis Heroina, magnæ
Iam relegis monumenta Vitæ.
Me, seû remotis Phæbus ab Indijs
Lucem reducet, seû in Ibericis
Longo fatigatum labore
Currum iterum reparabit vndis,
In sauciato pectore conditi
Luctus manebunt. Dum prope mænia
Torrente natiuo, fugaces
Vilia deproperabit vndas.
Donec citatos præcipiti vehes
Horine fluctus gurgitè; quamdiu
Pinges perenni flore ripas,
Flebo mei mala longa fati;
Et mæsta vestris vorticibus pios
Miscebo fletus. Vos quoq; flebiles
Augete singultus, meisq;
Luctibus accumulate luctus.

ODE V.

Munificentia ILLVSTRISSIMÆ Heröinæ, in egenos.

QValis per Meröen & Pharios agros,
Nilus frugiferis labitur amnibus,
Et septemgeminis cærulea domûs
Ditat Thetydos ostijs.
Talis munificæ flumine dexteræ
Voluebare inopes per populi greges,
Lux extrema tui sanguinis, aureo
Gangis ditior alueo.
Proh! quanti gemitus! quanta reciprocis
Tumbam circumeunt agmina luctibus,
Quot lamenta sonant! sicne tuos Pia
Mater deseris Orphanos?
Circumstat feretrum, turba simillima

Præ

Præ luctu feretro! vox gemit unica
Matrem: Mater eras; ah nimis inuida
Matrem reddite sidera.
At quæcunque Tuam sidera lumine
Oblectant Animam; sêu rutilans tibi
Auroræ facies, sêu placet igneis
Velox Luna iugalibus;
Sêu consanguineo TE *Pia distinet*
Mens Kostcæ alloquio, sêu lateri Come-
Materno graderis, sêu tibi debitas,
Emiraris adoreas,
Sêu formosa Poli tecta perambulans
Hàc quà porrigitur semita lacteis
Intertexta notis, Rossica dulcibus
Narras funera Fratribus,
Inuictique legis prælia Coniugis,
Formidata nigro prælia Bosphoro,
Et quæsitam acie, non humili vides
Hospes lumine gloriam.
Huc è stelligeræ culmine Patriæ,
Princeps flecte oculos: irriguis vbi
Sanus plangit Heram fluctibus, & nouis
Pulsat littora questibus.
Dilectum gemino marmor vbi tegit
Fratrum depositum funere, & inclytis
Natorum Genitrix condita, tertium
Funus Manibus addidit.

ODE VI.

Clementia ILLVSTRISSIMÆ Ducis in *SVBDITOS.*

PRincipum frustra vigil obseratis
Excubat tectis Timor, & seuero
Seruat armorum laqueata frustra
Atria cinctu.
Ponat exstructos adamante muros;

Formet

Formet excisas Sypilo columnas;
Fulgidâ gemmis nequit esse Princeps
Tutus in aula,
Quem fugit longè niueus suorum
Ciuium candor, famulæq; circùm
Et minæ stipant, & amara cæco
Ira furore.
Nouimus quantos cieat tumultus
Nereus, salsæ dominator vndæ,
Dum ferit sæuo sibi subiugata
Regna Tridente:
Nouimus, quantas vbi Phœbus ora
Nubibus texit, generet procellas,
Fulminum quanto tremat alta cœli
Aula boatu.
Ast vbi clausis Pater imperauit
Otium ventis, redeunt fugatæ
Et quies & Pax, & amica mœstis
Sidera nautis;
Mox vbi pulsis iterum reduxit
Ora Sol nimbis, recreatur Orbis,
Cærulum ludit per inane leni
Aura cachinno.
Principes: pulchros simulate soles
Vultibus, mitem simulate pontum;
Non hyems, blando sed amœna regnet
Iris in ore.
Principum sidus, radiansq; gemma,
Te suam tali stupuêre ciues
PRINCIPEM vultu, gemituq; & atro
Teste fatentur
Vestium luctu, sonuisse nullas
E TVÆ MITRÆ radijs procellas,
Aut ab innubi tonuisse rauca
Fulmina fronte.
Nec suâ tantùm TVA LVNA ROSSIS
Luce TE fecit radiasse terris,
Splendor æqualis tibi DVX sereno
Fulsit ab ore.

Erigant

Erigant celsos alij Colossos,
Et peregrino monumenta saxo.
Te suam viuo Dominam reponent
Pectore ciues.

ODE VII.

MAGNIS MANIBVS ILLVSTRISSIMÆ Heroinæ Sacrum.

QVæ Templa? vel quis Te Populus colet?
Auguste Regum sanguis, & vltimi
Propago CONSTANTINI, *auitæ*
Primus Honos, pretiumq́; MITRÆ.
Si vasta tellus in Tumulum TIBI
Laté patenti cesserit ambitu,
Angustus Augusto DVCISSÆ
Orbis erit Cineri! Paterna
Laxate magnis Sidera Manibus
Equale tectum. Marmore se vetat
Æterna virtus claudi; ab ipso
Ad Superos reditura busto.
Non tota terris te tamen eripis
Tuis superstes laudibus. It tuum
Post fata non mortale Nomen
Per populos, per & ora Diuûm.
Dicêre seris maxima sæculis
PRINCEPS, *propinquum sideribus caput*
Genusq́; Diuum. Iam beatas
KOSTKA *Tuus tibi pandit arces.*
I scande nubes: linque solo MITRAM
Fatale pondus. Laurea te manet
Æternitatis; quàm tot olim
Nominibus meruisse gaudes.
Quis magna iactet? subdita Casibus
Sunt alta magnis. Deijcit arduas

C *Procella*

Procella cedros. vix, minores
Sollicitat graue fulmen ornos.
Quidquamnè tandem, (grandia dum labant)
Expers ruinæ est! vna aliam trahit
Jactura stragem. Nil perennat
Orbe diu. Peritura Nati
Lapsâ parentum mole superstruunt;
Et quas auito sanguine laureas
Spirabat immortale saxum,
Tempus edax, & auara famæ
Truncant subactis fata ligonibus.
Augusta Regum Nomina corruunt
Nutante mundo. Immota ad omnes
Vna stetit LUDOVICA *casus:*
Cui non profano Gloria scripserat
Pergrande Nomen marmore: nec rudi
Commisit aut famam metallo,
Aut facili moritura ceræ
Jmpressit alti stemmata sanguinis;
Sed quidquid ingens, OSTROGII *Ducum*
Fortuna virtuti propinquæ
Contulerat, dedit ANNA *Cælo.*

ODE VIII.

IN te supremas OSTROGII Ducum
Miramur vmbras, NEPTIS ô vltima
OSTROGIANÆ stirpis! In TE
Orba, Domûs decora alta mærent.
Natale sidus, tristius adspici
Iam LUNA pallet: jam morientia
Conduntur, heû dolor! sepulchro
Lumina, diffugiuntq; nostro
Tam cara mundo. Siccine patrias
Mutare terras, atq; aliam placet
Intrare gentem? sic Polonum
Est animus Viduare cælum?

Quis

Quis Te citatis pasſibus inſequi
EQVES Ducalis ſufficiat? Ruis
Feſtinus ad metas, paternam,
Curſibus anteuolans SAGITTAM!
Illi ſed Vna eſt quæ tibi Gloriæ
Corona, voto compare tenditis:
Æqualis eſt merces vtrinq;
Quam meruit SOLEATA virtus.

ELOGIVM SEPVLCHRALE.

ÆTERNITATI.
ANNA ALOYSIA
DVCISSA IN OSTROG
CHODKIEWICIA

PALATINA VILNENSIS
Extrema Ducalis Familiæ HÆRES.

HEROVM AC HEROIDVM

Filia & Neptis:
Paternam Ducalis Proſapiæ amplitudinem
Quà ſplendoribus Materni generis
Quà ſummis Affinitatum Conſortijs,
Quà illuſtribus virtutum incrementis auxit.
E Tribus, natu minima SORORIBVS
Æquale dotalis GLORIÆ Honorarium accepit:

DVM

Et illæ magnis Bellatoribus ceſsêre in conſortes

 Et iſta

ET ISTA

IOANNI CAROLO CHODKIEVICIO

SVpremo Exercitûs Lithuanici Imperatori nupta
E Maritali armorum luce
Natalium claritudinem intendit.
Omnino, Sexum eminenti indole ſupergreſſa
Veteres majorum gentium Heröinas æquauit.
Quidquid magnanimum in Iuditha,
Quidquid pudicum in Suzanna,
Quidquid Liberale in Pulcheria,
Quidquid Religioſum in Matildi,
Aut amauit aut ſuſpexit Orbis;

ID TOTVM

Honeſto æmulationis ambitu ad ſe traxit.
Tam ſui negligens Honoris quàm appetens Diuini;
Cui vel acriter tuendo, vel magnificè propagando,
Toto fortunarum apparatu impendit ſe ſe.
Erecto Ducali in vrbe Collegio Societatis,
Arcem oppugnando Schiſmati opportunè molita,
Ingens tam Catholicæ quàm publicæ rei momentum attulit.
Vel eo nomine, MATER PATRIAE dicenda
Quod alendis formandiſq; in ſpem Reipub. Ciuibus
Ædem Sarmaticæ Nobilitati de ſuo locauit patrimonio.
Palatinum aulæ ſplendorem ſi deſideras?
Integrum in ea Senatum reperiſſes!
Si Gynæcei ſanctimoniam? præ illo Veſtalem non optaſſes.
Animo aduerſis inacceſſo,
Egentium altricem ſe nunquam & nuſquam oblita,
Vt fleret vbertim cum flentibus
Suos & illa oculos erudierat, alienæ calamitatis magiſterio.
In publica ciuilium armorum trepidatione
Solum & ipſa vertere coacta,
E Statu virilis conſtantiæ mouit nunquam!
Sic demum alias peregrinata in terras
Supremæ neceſsitatis fatum peregrè inuenit.
Palam edictura vniuerſis
Neminem niſi ab exilio in patriam redire.

A. M. D. G.